



## Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Bernardi Primi Clarævallensis Abbatis, Ordinis  
Cisterciensium Antesignani, melliflui Ecclesiæ Doctoris  
Sermones In Dominicas & Festa per annum**

**Bernardus <Claraevallensis>**

LXXVII. De varia forte hominum cognoscentium & non cognostentium  
Deum &c.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39254**

## Sermones de Diversis.

725

**M**ultiplicata sunt infirmitates eorum, postea acceleraverunt a. Quid dissimulant homines in vita sua agere pœnitentiam, & extrema de confessione præsumunt? Quomodo sub unius horæ articulo revocari posse afflant omnia animæ membra, cuius concupiscentiæ & desideria per totum mutidum sparsa sunt, & ubique terrarum velut quodam visco tenentur? Non dico, ait Dominus, quin & talium salvem aliquos, potens sum enim in momento omnia revocare; sed non congregabo conventicula eorum de sanguinibus b, id est, qui in sanguine perseverant, donec multiplicatis infirmitatibus deserantur à peccatis antequam deserant ea, non magna tamquam conventicula congregabo. Si benè memini, in toto canone Scripturæ sum unum Latronem invenies sic salvatum. Noli ergo huic tam periculose expectationi credere temetipsum. Et quidem spiritus non modo ubi vult, sed quando vult, spirat c, nec ei difficile est de subito perfectam dare contritionem cordis quam vix multo tempore alii consequuntur; sed unde scis quod tunc tibi ita subvenire velit, quem tu interim sic repellis? Benignus quidem est spiritus sapientiæ d, sed non liberabit maledicuum à labiis suis. Audi quis ille sit: Maledictus qui peccat in spe.

a Psal. 13. a

Periculoso in mortem usque diffire curans autem.

b Ibidem.

Nec tutum nisi exemplo Latronis in cruce demum pœnitentia.

d Sap. 1. b

## S E R M O LXXVI.

*De necessitate seu commendatione divinae gratiae.*

**P**revenisti eum in benedictionibus dulcedinis a. Triplex nobis necessaria est benedictio, præveniens, adjuvans, & consummans. Prima misericordiæ, secunda gratiæ, tertia gloriæ. Prævenit misericordia conversionem, adjuvat gratia conversationem, perficit gloria consummationem. Nisi tri-nam hanc benedictionem dederit Deus, non poterit dare terra nostra fructum salutis. Neque enim aut inchoare bonum, donec à misericordia præveniamur; aut agere bonum, donec adjuvemur à gratia, aut consummari in bonis possimus, donec gloria repleamur. Verum in his tribus non im-merito dulcius sapit ea, quæ non modò immeritos, sed & male meritos præ-venit: ut dum adhuc filii sumus iræ, & operamur opera mortis, ipse cogi-tet super nos cogitationes pacis, & ne potentibus quidem, imò & impeten-tibus: non invocantibus, sed provocantibus: non interpellantibus, sed etiam repellentibus, spiritum bonum, spiritum vitæ, adoptionis spiritum largitur. Quid illi animæ dulce sapiat, cui misericordia tanta non sapit? Merito proinde benedictio dulcedinis nominatur ea quæ prævenit; quia quæ adjuvat, fortitudinis; quæ consummat, plenitudinis est.

a Psal. 20. a  
Benedictio tri-plex nob. ne-cessaria.

Gratia necesi-tas ad bonum inchoandum & peragendum.

## S E R M O LXXVII.

*De rara sorte hominum cognoscantium & non cognoscantium Deum; item cognitorum & non cognitorum à Deo.*

Y y y 2

Populus

Psal. 17. g.

*Quatuor differentiae hominum cognitorum & non cognitorum à Deo.*

**P**opulus quem non cognovi, servivit mihi<sup>a</sup>. Non esset magnæ admiratio-  
nis, si populus à Deo cognitus serviret illi. Cum vero incognitus illi  
serviat, & in auditu autis obediatur, magnæ laudi adscribendum est. Ex hoc  
genere cognitorum & non cognitorum, & cognoscentium & non cognos-  
centium sunt quatuor differentiae. Quidam enim sunt qui à Deo cognos-  
cuntur, & Deum cognoscunt; alii non cognoscuntur, nec cognoscunt,  
alii cognoscuntur quidem, sed ipsi non cognoscunt; alii non cognoscun-  
tur, & tamen cognoscunt. Cognoscere Dei, est felicem facere; cognos-  
cere hominis est gratias agere. Qui ergo cognoscuntur à Deo, & Deum cognos-  
cunt, sancti Angeli sunt, qui ab eo felices facti, eius laudibus semper va-  
cana, & obsequiis deserviunt. Quirne cognoscuntur, nec cognoscunt;  
pauperes sunt necessarii, quos nec rerum temporalium copia ditat, nec bea-  
tificat servitus divina. Qui autem cognoscuntur, sed non cognoscunt, divi-  
tes sunt huius sæculi, qui acceptis quidem opibus afflunt, sed carnalibus  
desideriis huius sæculi pressi, nunquam ad cœlestia cor suspendunt.

Qui vero non cognoscuntur & cognoscunt, pauperes sunt voluntaria-  
rii, quos nec tribulatio, nec angustia, nec alia quæcumque pericula pos-  
sunt separare à charitate Dei. Et hi nimis multis modis probantur ad-  
versis, durisque fatigantur tribulationibus, sicut scriptum est b: *Vasa fragili*  
*probat fornax, & homines iustos tentatio tribulationis.* Ex quorum item per-  
sona loquitur Psalmus c: *Deus Deus meus respice in me, quare me dereliquisti?*  
Nunquid non incogniti videntur qui orant ut respiciantur? Veruntamen  
licet dersicti videantur, ipsi tamen Deum cognoscunt; & ex persona co-  
gnoscentium statim in eodem Psalmo subinfertur: *Deus meus clamabo per*  
*diem, & non exaudies; & nocte, & non ad insipientiam mibi.* De his ergo vox  
divina dicit: *Populus quem non cognovi, servivit mihi.* Ac si aperte diceret An-  
gelis suis. Quid, si vos mihi servitis quos felices facio, quandoquidem illi  
mihi serviant quos in sua paupertate derelinquo? Et quid, si vos mihi obe-  
ditis qui faciem meam videtis, cum & illi obediant qui me tantum audiunt,  
& non vident? Vident quippe Angeli, audiunt homines. Audiunt scilicet  
& obediunt, ut quandoque similes Angelis facti, mereantur ipsi quoque  
videre. Itaque auditus est meritum videndi, visio præmium audiendi. Et  
prius est audire, videre posterius, sicut scriptum est d: *Audi filia & vide.*  
Quisquis ergo in futuro Deum videre desiderat, profecto necesse est ut in  
præsenti prius Deum audiat, & in auditu auris obediatur.

## SERMO LXXVIII.

De differentiâ tabernaculi, atrii, domus. *Quam dilecta tabernacula tua**Dom. virt. &c. Plal. 83. a*

*In taberna-  
culis iussi in-*

**T**ria sunt Tabernacula, Atria, Domus. In tabernaculis sunt omnes  
iussi in carne viventes & laborantes; quia tabernacula laborantium  
sunt